



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 82. Papa a Normannis captus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. Inde S. Leo IX. Romam in Quadrage-
A.C. 1053. sima pervenit, & post Pascha Synodum,
 sicut aliis annis adsueverat, convocavit,
 de qua nihil aliud ad nos transmissum,
 quam Epistola ad Episcopos Venetorum
 & Istriae data Dominico Patriarchæ Gra-
 densi, alio nomine Aquilejæ novæ, fa-
 Leon. ep. 2. vens; nam in ea statuitur, ut illa civitas
 duarum illarum provinciarum Metropo-
 lis habeatur secundum priora Pontificum
 privilegia, & Episcopus Forojuliensis se-
 cundum Constitutiones Gregorii II. &
 Gregori III. intra Longobardiæ fines
 Sup. lib. XLII. §. 7. continueatur. Ita vetus illa disceptatio
 finita.

§. LXXXII.

Papa a Normannis captus.

Herm. Chr. Concilio dimisso Papa cum exercitu in
 Normannos movit. Illi pacem ro-
 gant, spondent se Vasallos Papæ futuros,
 & fidem juraturos pro possessione illa-
 rum terrarum, quas Ecclesiæ ademissent.
 Sed Papa rejectis conditionibus vult, ut
 quæ armis occupassent simpliciter red-
 derent, indeque recederent. Norman-
 ni copiis, quas Papa ducebat, numero
 longe superiores, hanc conditionem tan-
 quam impossibilem respuunt, dicentes,
 armis se defensuros Regionem quam ar-
 mis subegissent, atque in ea, si vincere
 non

non possent, saltem fortiter morituros. Sæculum XI.
 Itaque decima octava Junii ad pugnam A.C. 1053.
 ventum est. Germani in primis ordinibus dimicantes in Normannos ferociter irruunt, depellunt & pæne profligant. Sed mutata subito belli alea. Quippe cum postrema Normannorum agmina in milites Pontificis inveherentur, vecordes Itali fugam arripiunt, solique Germani viriliter se tuentes magnam partem cæduntur. Ita Normanni insignem victoriam licet multi sanguinis impendio reportarunt, *sive id ideo evenerit*, inquit Hermannus illius ævi Scriptor, *quod Papam magis decuisset armis Spiritualibus, quam ferro pro Bonis bujus mundi decertare, sive quod Dux esset multorum impiorum, qui vel scelerum suorum impunitatem sperabant, vel avaritiam satiare cupiebant, sive quod justus Deus ob causam sibi soli cognitam peccata nostra punire voluerit.*

Papam in vicino oppido prælii exitum expectantem obsident Normanni, viribus imparem capiunt, atque ad ipsos absolvendos a Censura excommunicationis cogunt. Ceterum eundem Beneventum inter maximi honoris signa deductum majore illius anni parte, nempe a die vigesima tertia Junii anno 1053. usque

*Chr. Cass.
l. II. c. 87.*

Sæculum XI. usque ad duodecimam Martii anno 1054.
A.C. 1053. custodierunt. Ille funera in eo pro-
 elio occisorum paterne curavit, iussitque
 ea in quadam Ecclesia collapsa, haud
 procul posita, sepeliri. Qua deinde
 restaurata ipsi Normanni Monasterium ibi
 condiderunt. Beneventi commorans
vit. c. 12. Papa asperrimam vitam ducebat. In
 terra panno strata cubabat, cilicio car-
 ni admoto vestitus. Saxum suppositum
 pro cervicali erat. Arctissimum illi erat
 somni tempus, & singulis noctibus Psal-
 terium inter innumeras genuflexiones
 recitabat. Præterea Psalterium iterum
 de die, Missam, & plurimas alias preces
 persolvebat. Eleemosynas quibusvis pe-
 tentibus pæne immensas largie-
 batur.

